



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Svsii E Societate Iesv Opvcvla Litteraria**

**Suys, Nicolas**

**Antverpiae, 1620**

XVI. Condit Mariæ tumulum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69342](#)

*Aut natos Medea tuos, dum patris in ora  
 Iactasti, & rabida viscera fracta manu:  
 Andromachēnq; agram, quando Astyanacta parabat  
 Turribus è patrijs præcipitare Ithacus:  
 Hippolytum lacerum, atq; iterantē vulnera Phædrā,  
 Et tragicum quidquid barbaricumq; sonat.  
 Nil atrox adeò, infandum, crudele, nefastum  
 Villa dedit populo scena, nec villa dabit.  
 Non Maro describat scelus hoc, non pingat Apelles:  
 Non vmbram sceleris duçat hic, ille canat.  
 Cedite Pierides, tuq; ô formosus Apollo:  
 Hic tacet elinguis tibia, muta tuba est.*

## ELEGIA XVI.

Condit Mariæ tumulum.

**M**Agnum opus aggredior. diuiq; hominesq; fauete.  
*Huc ades aligeri turba ministra chori.*  
*Consilio auxilioq; tuo caussa indiget & res,*  
*Vt statuam Domine busta suprema mee.*  
*Mausoli fido coniux bhibit ore fauillas*  
*Coniugis immergens viscera visceribus.*  
*Barbaricum auersor facinus: meliora fuere*  
*Albanis quondam, viua sepulchra, canes.*  
*Nec placet aërij moles sacra Mausolei,*  
*Quam celebrat priscis garrula fama librūs.*  
*Quem iuuat in vasto corpus tumulare sepulcro,*  
*Hunc tegat in vasto turpis Atlante specus.*  
*Vrna modesta meam tegat & generosa Mariam,*  
*Sit bustum frugi, qualis erat thalamus.*

Sex.

*Sexpedibus surgat terrâ sublimius, octo  
 Porrigat in longum, tres latus omne premat.  
 Non vario saxo aut emblemate vermiculato  
 Detineant oculos busta superba meos.  
 Virgineo Nympham decet intactoq; alabastro  
 Condere, quod mundâ ter serit arte manus.  
 Exaret & paucos sapienti dextera cælo  
 Innuptæ versus Palladis; imò meos:  
 Hic Virgo Materq; iacet, Regina Deorum:  
 Non iacet hic, G N A T I regna paterna tener.  
 Dein tria subiiciet tenuis mihi verba character,  
 Susius hoc Mariam composuit tumulo.*

## ELEGIA XVII.

Tumulum Mariæ corpore destitutū offendit.

*S*Onnis ab exequijs reducem me forte tenebat:  
 Optabam votu mille redire diem,  
 Phosphoron hortabar pigrū increpitaret ut agmen,  
 Tardigrados lunæ precipitaret equos.  
 Nec passus dormire nigras clamosior horas,  
 Nec Phœbum in rutilo stertere chrysolitho,  
 Huc ades, huc, Phœbe, huc, iterās, oculēissime Phœbe,  
 Ad Dominæ tumulum currere flagrat amor.  
 Audijt, & foribus solito properantiū exit  
 Auroræ inuadens proxima regna suis.  
 Exilio è thalamo, fidamq; in pyxide nardum  
 Inq; onyche Assyrium congero malobathrum.  
 Crystallo innubi condo noua balsama, Idumes  
 Rorifluis nuper balsama lecta iugis.